
LP
15
102.17

Bodendorf

*675. BODENDORFF, M. Persius, Martialis, Iuvenalis quo modo de Graecis iudicent. Besonderer Abdruck aus der Festschrift des Königlichen Friedrichs-Kollegiums. (Michaelis 1892.) Königsberg Pr. 1892. Hartungsche Buchdruckerei. 4°. pp. 14.

M, HCL.

PERSIUS, MARTIALIS, IUVENALIS QUO MODO DE GRAECIS IUDICENT.

SCRIPSIT

M. BODENDORFF.

Besonderer Abdruck aus der Festschrift des Königlichen Friedrichs-Kollegiums. (Michaelis 1892.)



Königsberg Pr. 1892.

Hartungsche Buchdruckerei.

Quisquis litteris et disciplinis Latinis studuerit, occasione oblata mirari coeperit, quid causae sit, cur scriptores Romani, qui unaquaque librorum suorum pagina totos se ex Graecorum doctrina pendere doceant, idem nationem Graecam contemnere ac despicere non dubitent. Cuius rei causas explicare et disserendi ratione ita comprehendere, ut, quid quisque de Graecorum moribus dixerit, intellegatur, operae esse pretium videtur. Tamen in tanta scriptorum turba omnium sententias proferre opus amplum est et difficile, quod anno insequenti ad exitum me adducturum spero. Nunc quidem trium poetarum libros, Persii, Iuvenalis, Martialis, qui plus uno inter se coniuncti sunt vinculo, excutiamus quidque de Graecis indicaverint, videamus. Ac si quis memor Iuvenalem acerbissimum Graecorum inimicum indignationem iramque suam in illam gentem effudisse in satira quadam praeter eum locum non ita multa fore arbitretur, quae ad hoc argumentum illustrandum afferri possint, tantum abest ut vere iudicasse eum concedam, ut contra, cum omnia quae ex illis scriptoribus habeo excerpta percenseo, tam multae tamque variae rei tractandae rationes sese offerant, ut certum iam modum finesque huic opusculo ponendos esse sentiam. Non igitur dicam de philosophia Graecorum aut de disciplinis, quas in philosophia illi poetae amplexi esse videntur; non disseram de rebus mythologicis, quae in eorum scriptis exstant, non de terris aut oppidis Graecis, quorum nomina legenti occurrunt; omittam exponere, quae fuerit conditio mercaturae Graecorum earumque rerum, quae quaestus causa apud eos fabricabantur; denique non explicabo litterarum Graecarum statum, non hominum Graecorum aut vera aut ficta nomina. At quaenam ratio quaestionis tractandae relinquitur? Docebo, quo modo iudicaverint Persius, Iuvenalis, Martialis de universa natione Graeca maximeque de suorum temporum Graecis. Quod si rem ita circumscripsero et definiero, non vereor ne vitio mihi vertatur, quod quaestionem mancam quodam modo et inchoatam reliquerim, praesertim cum quas res non esse plena ac perfecta commentatione tractandas modo dixi, tamen ad sententias et mores poetarum illorum recte explicandos aliqua ex parte adhiberi oporteat. Ceterum quibus verbis Plinius in praefatione naturalis historiae utitur, me consoler: nobis itaque etiam non assecutis voluisse abunde pulchrum est.

6

„Omnia Graece."
Juv. VI, 187.

Quod noster ille Gregorovius dixit, Romae urbi eam naturam fuisse, quae vi quadam inevitabili ad medium raperet et converteret extrema,[1]) non modo ita intellegendum est, ut legiones invictas ex hac urbe profectas orbem terrarum suae ditionis fecisse finesque imperii Romani ad ultimas oras protulisse dicat, sed proprie dictum ad incrementa quodam modo et amplitudinem urbis ipsius adhiberi posse videtur. Nam republica Romana constituta atque confirmata primum ex Italia tum ex provinciis infinita multitudo continuo agmine in urbem Romam confluxit. Quod ubique hominum genus inveniebatur, in hoc orbis terrarum conciliabulum convenit[2]), ut iam Cicero Romam civitatem ex nationum conventu constitutam diceret,[3]) Martialis vero suo iure exclamaret:[4]) Quantus, io, conventus mundi!

Sed ex omnibus omnium temporum populis nullus maiorem numerum hominum eo misit quam Graecus. Quae natio quam artis societatis vinculis cum populo Romano ex antiquissimis temporibus coniuncta fuerit, explicare ab eo, quod propositum est, abhorrere videtur. Satis erit commemorare oppida Graeca, quae in ea parte Italiae sita erant, quam Magnam Graeciam appellabant. Neque minus notum est, quantopere studia litterarum Graecarum apud Romanos ex tempore belli Punici secundi aucta sint. Cum vero legiones Romanae in Graeciam et Asiam transmissae has quoque terras sub potestatem populi Romani redegissent, „Graecia capta ferum victorem cepit et artes intulit in Latium."

Saeculis insequentibus omnium rationum usus atque necessitudo inter Graecos et Romanos augebatur, ut non modo omnes fere scriptores Romani imitatores litterarum Graecarum dici possint, sed in universae vitae cultu et institutis vis atque auctoritas Graecorum appareat. Eadem natio, quae aliquando in orientis solis terras trans Euphratem progressa cultum atque humanitatem secum intulerat, vestigia victorum secuta suum ingenium, suas litteras, suas artes quasi vindex libertatis amissae in patriam hostium introduxerat. Itaque factum est, ut Caesarum temporibus Iuvenalis Romam urbem Graecam appellaret, quam diutius ferre non posset, cum et faex Achaeorum et Syrus Orontes iam pridem in Tiberim defluxissent.[5]) Singulas insulas et oppida Graeca enumerat maximeque eas, quarum amoenitas et temperies dissolutiores efficere viros dicebatur: Sicyona, Amydona, oppidum Achaiae, Andrum et

1) Gregorovius, Geschichte der Stadt Rom im Mittelalter I, 8. Hoc iam loco enumerabo, quibus potissimum libris in opusculo scribendo usus sim: Friedländer, Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms. — Hertzberg, Geschichte Griechenlands unter der Herrschaft der Römer. — Boissier, études de moeurs romaines sous l'empire. Revue d. d. mondes 1870. — Pöhlmann, Die Uebervölkerung der antiken Grossstädte. — Becker-Marquardt, römische Altertümer. — Drumann, Geschichte der Stadt Rom. 2) Flori epit. p. 41. Jahn. 3) de pet. cons. 14, 54. 4) VIII, 41. 5) III, 60.

Samum insulas, Tralles, Lydiae oppidum, Alabanda Cariae[1]) quorum omnium incolae propter luxuriam male audiebant, quare apud Martialem molles Iones nominantur.[2])

Quod Sallustius de suis temporibus dixit, qui ubique probro atque petulantia maxime praestitissent, qui patrimonia per dedecora amisissent, postremo omnes, quos facinus aut flagitium domo expulisset, eos Romam ut in sentinam confluxisse, ad tempora Iuvenalis suo iure referri potest. Nam omnia crimina atque scelera in urbe nata esse queritur, ex quo tempore paupertas Romae perisset;[3]) inde ad colles Romanos fluxisse et Sybarim et Rhodum et Miletum et Tarentum; divitiis mollibus turpique luxu gloriam saeculorum fractam esse et obscaena pecunia illatos mores pregrinos.[4]) Quos pregrinos quamquam omnes odit, tamen summam iram in Graecos evomit Iuvenalis: non enim Maurum esse aut Sarmatam aut Thracem qui sumpserit pinnas, ut in alias terras volaret, sed Graecum mediis Athenis natum,[5]) Graecos regnare Romae neque cuiquam Romano locum esse in urbe;[6]) nihil iam valere, quod sua infantia oliva Sabina nutrita Aventini coelum hauserit.[7]) Aegre fert, quod Graecus in iudicio apud praetorem prior signet et in coena meliore toro fultus recumbat: ac tamen fieri posse, ut Graeci isti, qui divitias et auctoritatem Romae consecuti sint, eodem vento sint advecti, quo pruna et cottona.[8]) Romanos non esse pares Graecis arte adulandi et inserviendi: nam si quis Graecus adulatione animum domini amplexus est, cuius in aurem tamquam venenum naturae suae patriaeque stillavit, solus eius amicitia uti, ceteros clientes a limine amici divitis summovere studet, ita ut brevi dominus longum tempus servitii obliviscatur veterum clientium, qui propter Graecum excluduntur.[9]) Hoc loco Iuvenalem invidiae plenum videmus atque obtrectantem isdem Graecis, qui maximo ei contemptui sunt: quamquam eadem omnia sibi facere liceat, tamen gratiam amici divitis consequi se posse negat. Quae invidia atque malignitas Iuvenalis animo caliginem quandam offundit, qua, quominus Graecorum mores recte et vere diiudicet, impeditur. Quod quamquam infra accuratius explicandum erit, tamen hoc iam loco praemonendum esse videtur, ne quis quae plura naturae Graecorum ac morum exempla ex eius satiris sum propositurus, incorrupta rerum fide digna esse arbitretur.

Quae vitia Cicero Graecis suae aetatis exprobrat, levitatem, assentationem, animos non officiis sed temporibus inservientes, ingenia ad fallendum parata,[10]) temeritatem,[11]) insulsitatem[12]) desidiam, luxuriam,[13]) mendaciam,[14]) ineptiam,[15]) iracundias occultas, blanditias apertas,[16]) Graeculos homines contentionis cupidiores esse quam veritatis[17]) multaque fingere,[18]) otiosos esse et loquaces,[19]) eadem omnia vitia Iuvenalis Graecis attribuit. Vituperat eorum ingenium velox, audaciam perditam, sermonem promptum et Isaeo torrentiorem.[20]) Quibus ingenii virtutibus ad animos divitum amicorum sibi conciliandos usi, quacunque possunt ratione, opes et potentiam consequi student. Itaque nocte dieque parati sunt vultum ab aliena facie sumere, manus iactare, laudare;[21]) si rides, Graecus maiore cachinno concutitur; si lacrimas amici conspexit, flet nec dolet; si tempore brumae te algere dixeris, illico sudabit.[22]) Praeterea sanctum nihil est Graeco in familia amici: non uxor, non filia, non sponsus filiae adolescens, non filius adhuc pudicus; ne aviam quidem amore scelesto persequi veretur.[23]) Non igitur est mirandum, quod saepius infimus Graecus amore dominae ad summos honores divitiasque escendit aut, cum secreta quaedam domus cognoverit, ab omnibus timetur.[24]) Neque enim quidquam pensi habet, quibus modis id consequatur, dummodo opes suas firmet atque augeat. Graeculus esuriens omnia novit: in coelum, si iusseris, ibit.[25]) Ut adulandi est gens peritissima, cum sermonem indocti amici, deformis faciem laudat, longum collum invalidi cervicibus Herculis aequat miraturque angustam vocem,[26]) ita parata sub iudice se vidisse dicere, quod non vidisset, aut per caput alterius iurare.[27]) Tota Graecia mendax est, cum etiam scriptores rerum falsa proponere audeant,

---

1) III, 70. 2) spec. I, 3. 3) VI, 292. 4) VI, 298. 5) III, 80. 6) III, 120. 7) III, 84. 8) III, 83. 9) III, 124. 10) ad Quinct. I. 1. 16. 11) p. Flacc. 16. 12) p. Rabir. 36. 13) Verr. II, 7. 14) ad fam 13, 7. 15) Tusc. II, 18. 16) p. Flacc. 35. 17) de or. I, 47. 18) p. Scauro 3. 4. 19) de or. I, 102. 20) III, 73. 21) III, 105. 22) III, 108. 23) III, 110. 24) III, 112. 25) III, 78. 26) III, 86. 27) VI, 17.

veluti Athonem montem a Xerxe perfossum esse, novum terris mare immissum fluminaque a Medis epota;[1]) idem in aliis rebus a scriptoribus traditis dubitat, num Graecia vera sit.[2])

Quod si adeo occaecatum videmus Iuvenalis animum ira ac furore, ut quae incorruptis rerum gestarum monumentis confirmata sunt, in dubitationem vocet, in aliis quoque rebus modum eum excessisse non mirabimur. Quamvis ex animi sententia sinceraque fide eum mores aetatis suae vituperasse concedamus, tamen vere eum iudicasse negabimus. Ingenio praeceps erat in iram, immoderatus, effusus, sui impotens. Ipse dicit:[3]) quid referam quanta siccum iecur ardeat ira? Itaque in omni crimine, quod oculis sese offert, „coelum terris miscet et mare coelo";[4]) non potest reprimere iram, non exspectat, dum domum redierit, sed in medio quadrivio ceras capaces versibus implet.[5]) Indignatio eius neque modum servat neque discrimen inter scelera novit. Quod Horatius admonet, adsit regula, quae aequas poenas peccatis irroget, ne scutica dignum horribili sectere flagello,[6]) locum non habet apud Iuvenalem; is ubique flagello utitur, quo quasi occaecatus in omnes partes verberat. Quae animi et verborum immoderatio in iis quoque, quae de Graecis iudicat, apparet atque exstat. Nos vero maximam partem non facinorum aut vitiorum Graecos eum incusare dicemus, sed ingenii facultatibus, docilitati, sollertiae invidere, praesertim cum, quidquid agant, felicem exitum habere ipse queratur: frustra sibi eadem facere licere, se non esse parem Graecis, iis credi.[7]) Et oblitus est commemorare castigator saeculi sui, quae virtutes a maioribus quasi hereditate relictae Graecos etiam tum ornaverint, inventionis atque excogitationis ubertatem, cultum atque humanitatem, eruditionem ac doctrinam, leporem et urbanitatem. Quae quidem virtutes non inveniebantur in faece illa Graecorum,[8]) qui ex urbibus atque insulis Graeciae emigraverunt, ut Romae domini fierent.[9]) Certe perditissimos et flagitiosissimos in ea sentina urbis fuisse homines assentiemur Tamen quod odium Graecorum acerbissimum Iuvenalis prae se fert, idem apud omnes fere scriptores Romanos invenitur, cum discrimina inter Graecorum conditiones non servantes omnium mores ad infimos referant. Huc accedebat, quod homo vere Romanus peregrinos despexit et contempsit, cum quaestus faciendi causa Romam venirent, quem viro ingenuo indignum putabat.

Videamus iam, quas vitae conditiones Iuvenalis Graecis immigrantibus attribuat. Quamvis hominem, inquit, Graecus ad nos attulit:

grammaticus rhetor, geometres, pictor, aliptes,
augur, schoenobates, medicus, magus.[10])

Quibus conditionibus si adiunxerimus comoedorum, artificum, paedagogorum, servis exceptis omnia fere genera Graecorum, qui Romae erant, habebimus. De his singulis conditionibus copiosius dicendum est et proponendum, quid scriptores nostri de iis iudicaverint.

Mirum videtur esse, quod Romani, quamquam severis legibus morum perversitatem coercere studebant, in educandis pueris nullam certam aut legibus destinatam aut publice expositam aut unam omnium disciplinam esse voluerunt. Id quantum differt a recentioris aetatis consuetudine, qua proverbii locum obtinet illud: qui scholam habet, habet posteritatem! Quae neglegentia veterum eo minus intellegi potest, quod nemo negabit totius antiquitatis summam in republica conservanda rationem eam fuisse, ut res privatas omnium salute inferiores esse oporteret. Tamen patriae potestati omne ius liberorum educandorum permissum erat. Ad institutum meum illud non pertinet, ut, qui fuerit modus educationis apud Romanos, explicem, sed quanto momento Graeci in ea disciplina fuerint, proponatur.

Quod Iuvenalis Romam urbem Graecam dicit,[11]) in qua lingua Graeca regnet, id iam ad infantes valebat, qui lacte quodam modo Graeco nutriebantur, cum iam dudum mos esset natum infantem ancillae Graecae delegare nutriendum. Ita vinculum illud coagulumque animi atque amoris, quo parentes cum filiis natura consociat, a prima infantia interscissum erat aut

1) X, 174. 2) XIV, 240. 3) I, 45. 4) II, 25. 5) I, 63. 6) sat. I, 3. 119. 7) III, 120. 8) III, 60. 9) III, 72. 10) III, 77. 11) III, 60.

certe laxatum et remissum. Iuvenalis quidem mulierum plebeiarum et pauperum dicit esse suo lacte alere infantes, nobiles et divites feminas nutricis labores non iam subire.[1]) Nutrici illi Graecae saepe ex servis aliquis adiungebatur plerumque vilissimus neque ulli serio ministerio accomodatus; praeterea nutricis nomine non eae tantum mulieres vocabantur, quae lacte infantes alebant, sed omnino quae munditiem et diligentiam iis praestabant, nutrices assae.[2]) Earum erroribus et superstitionibus teneri statim et rudes animi infantium imbuebantur. Apud Persium[3]) complura earum nutricum vota inepta legimus, ut quidquid calcaverit puer, rosa fiat, ut rex et regina eum generum optent puellaeque rapiant, quae vota contra rationem facta ut Iuppiter neget, poeta orat. Ludi quoque Graeci, qui apud pueros in usu erant, commemorantur apud Persium[4]) et Martialem,[5]) veluti ludus orcae, qui ita exercebatur, ut pro fossula vas fictile angusto collo poneretur, in quod tali vel nuces iacerentur, itemque turbo, Graecorum *βέμβιξ* sive *στρόμβος*, apud pueros Romanos usitatus erat, non minus quam „celer trochus qui sonat arguto aere“,[6]) ita ut turba obviam venientium cedere cogatur,[7]) quod idem periculum imminet, „splendida cum volitant Spartani pondera disci.“[8])

Ex ore nutricum Graecarum puer linguam Graecam discebat primam, id quod Quintilianus fieri vult, cum sermonem latinum, qui pluribus in usu sit, puer etiam invitus perbibat et disciplinis Graecis prius instituendus sit, unde Romanae fluxerint.[9]) Neque minus puellae iam ab ineunte aetate linguam Graecam discebant, cuius rei testimonium versus illi Iuvenalis sunt,[10]) quibus neminem quarere dolet, unde quis habeat, sed oportere habere idque ommes puellas ante alpha et beta discere. Alio loco queritur omnia Graece exprimere et loqui feminas Romanas, cum sit magis turpe nescire latine:[11]) nullam mulierem sese formosam putare, nisi de Romana facta sit Graecula; sermone Graeco mulieres pavere, hoc sermone iram, gaudia, curas, cuncta animi secreta effundere, quin etiam in lectulis Graece loqui. Ac non modo puellae hoc sermone in omnibus occasionibus utebantur, sed ne matronas quidem pudebat exclamationibus Graecis, ut *ζωὴ καὶ ψυχή*, publice uti.[12]) Eadem de causa Martialis mulierem Romanam vituperat, cui cum neque Ephesus neque Rhodus patria sit, sed domus in vico patricio, *Κύριέ μου, μέλι μου, ψυχή μου* in ore habet: puella utatur his vocibus non casta matrona.[13])

Sed quod poeta feminis Romanis vitio dat, mirum quantum ipse non observat. Quot enim in locis epigrammatum verba Graeca inveniuntur! Qui mos verbis Latinis Graeca miscendi eo minus apud Martialem vituperandus videtur, quod in ea re exemplum optimorum qui ante eum fuerunt scriptorum sequitur, veluti Lucilii, Ciceronis, Horatii, deinde quod saepius ex vita quotidiana atque sermone vulgari petita adhibere solet. Et erat mixtus illis temporibus sermo urbanus verbis Graecis, quod nescio an nullius scripta clarius probant quam Petronii, quae consuetudinis et linguae plebeiae verissimam imaginem nobis exhibent. Itaque nos quidem poetae adeo non vertemus crimini, quod, quamquam tanto studio corruptum dicendi genus impugnat, idem in vitium incurrit, ut tributum saeculo suo eum solvisse dicamus.

Non alienum a proposito videtur ex Graecis illis locutionibus ad rem illustrandam afferre quasdam. Procillum amicum, quocum nocte superiore coenabat, poeta ebrius invitaverat, ut postridie secum coenaret; is statim factam sibi rem putavit et ebria verba subnotavit, quam memoriam convivae Martialis vituperat, cum exclamat: *Μισῶ μνάμονα συμπόταν.*[14]) Qui forte putent brevitatem epigrammatum esse vitium, ex iis quaerit, num formulas malint ut illud Homeri: *Τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.*[15]) Calliodoro cuidam, qui quamquam ipse censum equestrem habet, fratrem sibi esse obliviscitur, facete suadet: *σῦκα μέριζε*, cum *σολοικισμὸν* faceret, si unus cum esset eques, duo in equo sederent.[16]) Lepide dictum id quoque videtur, quod interrogat Aemilianum amicum, qui coquo suo Mystillon nomen imposuerat imitatus primum verbum versus illius Homerici *μίστυλλόν τ' ἄρα τἆλλα καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν*,[17]) cur non Taratalla coquus

1) VI, 592. 2) XIV, 208. 3) II, 38. 4) III, 50. 5) XI, 21. 2. XIV, 168. 169. 6) Mart. XI, 21. 7) XIV, 169. 8) Mart. XIV, 164. 9) I, 1. 12. 10) XIV, 209. 11) VI, 187. 12) VI, 195. 13) X, 68. 14) I, 27. 15) I, 45. 16) V, 38. 17) Il. I, 465.

Martialis dicatur. Similiter versus Homerici memor[1]) Χρύσεα χαλκείων ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων dicit „Χάλκεα donanti χρύσεα qui dederas".[2]) Quam facile et commode poeta lingua Graeca utatur, ex annominationibus illis apparet, cum commutatione litterarum aut diremptione ad idem verbum alius sensus accedit, veluti cum pueros qui per placidas undas navigantes ludunt, non nautas esse putat sed Argonautas, id est ἀργοὺς nautas.[3]) Similia quae sunt obscoena aliis locis inveniuntur.[4]) — Filiae Sotae clinici, quae marito deserto alium secuta erat, dicit: ἔχεις ἀσώτως.[5]) Candidum quendam, qui magniloquus nocte dieque κοινὰ φίλων sonat, vituperat, quod ex opibus magnis veteri fidoque sodali nihil det atque tamen dicat κοινὰ φίλων.[6]) Munera πεζά, id est munera sine carmine, cum pauper sit, ab amico petit, qui, dum munus suum carmine commendare vult, et se et Martialem pariter multis diebus excruciat.[7]) — Aenigma haud infacetum ex nomine Earini format, quem cum pocula temperaret Tonanti, id est Domitiano, eique dilectus praecipue esset, saepius carminibus celebravit: Quis est, cui verna tempora nomen dederunt? Responsum facile invenitur ex versibus praecedentibus, cum ex auctumno Oporinos, ex hieme Chimerinos, ex aestate Therinos derivatur.[8]) Nomen Earini magnas poetae difficultates praebet, quod prima syllaba, cum brevis sit, versui contumaciter repugnat; itaque Graeco more Eiarinum fingit, quam immutationem excusatam vult, cum homini Romano non idem liceat, quod disertis Graecis, quibus nihil sit negatum et quos Ἄρες Ἆρες sonare deceat.[9]) Quicunque poeta vocari cupit, eum lingnae Graecae imperitum esse, vix credendum videtur, id quod probat exclamatio illa: Graece, numquid, poeta, nescis?[10]) Homo indoctus facile cognoscitur, cum ne have quidem Latinum aut χαῖρε Graecum recte exprimere possit.[11]) Denique neminem nisi rusticum nescire putat, quid Graeco nomine dicatur aphronitrum.[12])

Ex ingenti acclamationum numero, quas adulatores sibi comparaverant et quorum exempla apud Martialem exstant:[13]) belle, effecte, graviter, cito, nequiter, beate, pulchre, bene, recte, in usu imprimis fuisse videntur, quod saepius inveniuntur, euge et sophos, id est Graecum εὖγε, σοφῶς.[14]) Quae acclamationes Graecae cum musica Graeca Romam translatae prorsus verba latina facta sunt, quae etiam cum adiectivis iunguntur, veluti grande·et insanum sophos, magnum sed perinane sophos, tergeminum sophos, mille sophos. Memoratu dignum videtur, quod etiam hodie apud complures nationes idem est usus interiectionum ex lingua peregrina petitarum. Nam cum Germani ex arte musica vel ex spectaculo tantum gaudium ceperunt, ut rem revocent, verbis Italicis utentes bravo, da capo conclamant, Francogalli Latine bis, Britanni more Francogallico encore; hi duo populi etiam nova ab his interiectionibus verba derivantes dicunt: il a été bissé vel he has been encored.

Litteris Graecis Romani etiam ad personas significandas utebantur: eo pertinet illud, quod Martialis, cum in charta iocaretur, unum ex amicis alpha paenulatorum vocat;[15]) qui versus cum bilem amico movisset, eum ita consolatur, ut se ipsum beta togatorum nominet.[16]) Hoc loco ϑ illud commemorandum est, quod nominibus mortuorum praefigebatur in sepulcris (ϑανών) quodque iudicum signum erat, si quem capitis damnabant, unde Persius nigrum theta vocat,[17]) Martialis mortiferum et letale.[18]) Quantopere omnino Romani formulis Graecis in vita quotidiana usi sint, ex eo apparet, quod etiam aves verba Graeca imitari docebant, potissimum formulas salutandi χαῖρε, εὖ πρᾶσσε, Ζεὺς ἵλεως. Ita psittacus χαῖρε sonat,[19]) pica salutatrix[20]) vel loquax certa voce dominum salutat,[21]) corvus salutator have sonat.[22])

Quoniam, quae fuerit auctoritas et vis linguae Graecae in universa Romanorum vita et cultu, exemplis a poetis nostris petitis satis exposuisse mihi videor, iam redeamus ad varias conditiones, quibus Graecos Romae fungentes invenimus. Sub finem reipublicae in mores Romanos transiit, ut pueris e manibus nutricis dimissis paedagogus Graecus adiungeretur „custos assiduusque

1) Il. VI, 235. 2) IX, 94. 3) III, 67. 4) VII, 57. XIV, 201. VI, 6. XI, 58. III, 77, 78. 5) IV, 90. 6) II, 43. 7) VII, 46. 8) IX, 12. 9) IX, 11. 10) V, 51, 5. 11) V, 51. 12) XV, 58. 13) II, 27, 3. 14) Pers. I, 49. 75. 111. V, 107. Mart. I, 3, 7. — 49. 37. — 66. 4. — 76, 10. III, 46, 8. — VI, 48. 1. VII, 32. 4. 15) II, 57. 4. 16) V, 26. 17) IV, 13. 18) VII, 37 1. 19) Pers. prol. 8. 20) Mart. VII, 87. 21) Mart. XIV, 76. 22) Mart. XIV, 74. III, 95. 2. XIV, 73.

comes",[1]) qui puerum sequebatur, dum togam virilem sumpsisset. Quanta eorum auctoritas etiam in adulescentes fuerit, apud Martialem videmus moleste ferentem, quod Charidemus paedagogus, qui cunarum suarum motor fuerit, nihil adulescenti licere velit, quamquam virum ipsum iam esse amica dicat: non desinit paedagogus admonere, obseravre, queri, suspiria ducere, vix a ferulis manum abstinet.[2]) Is paedagogus saepe primas litteras pueros docebat; quod enim antiquitus institutum erat, ut suus cuique parens pro magistro esset, hunc morem consuetudo saeculi iam pridem mutaverat. Qui igitur pater puerum litteris studentem domi atque intra privatos parietes continere noluit, frequentiae scholarum et publicis praeceptoribus tradidit. Atque primus praeceptor erat litterator sive magister litterarius, γραμματιστής. In ludis litterariis[3]) cum pueri legere et scribere et numerare didicissent, institutione grammatici utebantur, qui animos ad humanitatem fingeret acueretque ingenia, quo facilius possent maiora discere. Grammatici lectionem ab Homero inceperunt, qui et apud Graecos et apud Romanos principatum in usu scholarum obtinuit, quanquam postea Latini quoque poetae tractabantur, quorum Juvenalis Horatium et Vergilium,[4]) Martialis sui temporis quosdam commemorat.[5]) Grammaticus ipse praelegebat carmina[6]) atque id clara voce atque varie pro rerum modo, qua in re maxime laborandum erat, ut lectio virilis esset, non in canticum dissoluta aut plasmate effeminata.[7]) Omnis haec institutio „quolibet tormento gravior erat",[8]) praesertim cum tot manus oculosque puerorum observare non esset leve.[9]) Lectione facta atque a discipulis repetita, omne genus scriptoris excutiendum est, quae eius sit dictio, grammatice, philosophia, alia. His accedit enarratio historiarum diligentissima ita, ut auctores omnes noverit puer tamquam ungues digitosque suos, et forte rogatus nutricem Anchisae dicat vel quot annos Acestes vixerit vel quot urnas vini Siculi Phrygibus donaverit.[10]) Omnis ἐγκύκλιος παιδεία in ludis grammaticorum docebatur, quo factum est, ut saepius, priusquam rhetores Romam venerunt, adulescentes ex iis ludis statim in forum transirent atque in numerum praestantissimorum patronorum reciperentur. Postquam vero Romam rhetores Graeci confluxerunt, adulescentes ex grammaticorum disciplina in rhetorum ludos transierunt, ut veram doctrinam et humanitatem discerent. Atque adeo Romani rhetorum Graecorum institutione uti consueverant, ut diu rhetores Latinos scholas aperire vetarent. Nam apud Graecos, cuicuimodi essent, vidisse se tamen esse praeter exercitationem linguae doctrinam et humanitatem dignam scientia, Cicero Crassum censorem dicentem facit.[11]) A rhetoribus praeter illas grammaticorum exercitationes et declamationes duo maxime genera materiarum tractabantur, suasoriae et controversiae. Argumenta causarum fictarum et ex historia Graeca et patria petebantur, veluti Persius meminit puerum se saepe oculos olivo tetigisse, si nollet grandia verba Catonis morituri discere[12].) Juvenalis se quoque manum ferulae subduxisse dicit et consilium dedisse Sullae, ut omni reipublicae cura deposita reliquum vitae tempus in otio transigeret,[13]) sive Hannibalem deliberantem finxisse, utrum Romam a Cannis peteret an cautus cohortes circumageret.[14]) Vulgare argumentum tyrannicidium et tyrannicidarum praemia erant, quae disputationes cum iterum atque iterum recitarentur, miseros magistros fastidio conficiebant,[15]) quem ad modum „crambe repetita" nauseam creat stomacho, quibus verbis proverbium Graecum poeta significat δὶς κράμβη θάνατος. Quod Juvenalis hos rhetoras et grammaticos miseros nominat, omnium sermonem atque existimationem sequitur. Cum enim maiore eorum pars natione Graeci essent, non mirum est, quod in eandem contemptionem venerunt, in quam tota natio iam dudum inciderat. Accedebat, quod permulti vel clarissimorum rhetorum ex servis sive ex libertis ad eos honores escenderant. Itaque factum est, ut non prius quam Augusto regnante ex ordine equestri Blandus quidem rhetor Latinus commemoretur. Postea quidem ab imperatoribus nonnullis rhetoribus etiam ex infimo loco ortis dignitas equestris data est. Sed ea exempla rarissima exstant. Vulgo conditio eorum qui aetatem puerilem ad humanitatem informabant,

---

1) Mart. XI, 39. Iuv. VII, 218. 2) XI, 39. 3) Iuv. VII, 222. 4) VII, 227. 5) VIII, 3. 16. 6) Mart. I, 35. 2. VIII, 3. 16. 7) Pers. I, 18. 8) Iuv. VII, 152. 9) Iuv. VII, 240. 10) Iuv. VII, 235. 11) de orat. III, 24. 93. 12) III, 45. 13) I, 16. 14) VII, 161, X, 167. 15) Iuv. VII, 154.

iniqua et misera erat. Quamquam omnes artem rhetoricam discere cupiunt, nemo magistris iustam et debitam laboris molestissimi mercedem solvere vult.[1]) Martialis amico, qui sollicitus quaerit, cui magistro filium suum tradat, suadet, ut omnes grammaticos rhetorasque evitet: cum artes pecuniosas discere velit, citharoedum aut choraulem fieri oportere, vel si duri ingenii puer videatur, praeconem pater eum faciat aut architectum.[2]) Idem queritur, quod stulti parentes sui litteras se docuerint: quid sibi cum grammaticis rhetoribusque esse, cum sutor dentibus antiquas pelles producere solitus sit dives, ipse poeta pauperrimus,[3]) cumque is qui tonsor tota urbe notissimus fuerit, dominae munere eques sit factus, quamquam non rhetor, non grammaticus aut ludi magister esse possit.[4]) Itaque non raro rhetores, cum vitae miserae et umbratilis eos taedeat, a schola ad forum transeunt et patroni causarum fiunt, quorum ars et minus molesta et quaestiosior est.[5]) Quid enim rhetorem delectare potest, cum ne hoc quidem solatii sibi parare possit, ut discipuli in litteris aliquid proficiant, quod alii, qui patrimonio a maioribus accepto utuntur, securi tranquillam vitam agunt neque quidquam ulterius appetunt, alii generis nobilitate freti et elati, omne studium inutile habent neque ad se pertinere putant[6].) Aliis rhetores tam odiosi et lenti videbantur, ut balneum fervens refrigerare possent[7]). Ceterum omnibus temporibus non defuerunt qui, si discipuli haud multum proficerent in litteris, omnem eius rei culpam in praeceptores conferrent immemores viros doctos non posse fingi et formari ex iuvenibus Arcadicis id est stultis „quibus laeva parte mamillae nil salit."[8]) Nihilo minus rhetorum scholae per totum imperium Romanum instituebantur, veluti certamina rhetorum Graecorum Lugduni facta sunt;[9]) „etiam Thule iam de conducendo rhetore loquitur."[10])

Res ipsa hortari videtur, ut copiosius de universa educatione Romana dicam; tamen ne longius ab eo quod propositum est, aberrem, ex Iuvenalis satira decima quarta, in qua acerbissime parentes accusat, quod exemplis et praeceptis liberos ad sua vitia et in suos mores pravos forment, his versibus absolvam, quorum nova nostra aetate admonitum velim, quicunque temere scholae vitio dat, quae domi peccantur, immemor mentibus ea maxime infixa haerere, quae ab ineunte aetate et a parentibus discuntur:

nil dictu foedum visuque haec limina tangat,
intra quae puer est. . . . . .
maximo debetur puero reverentia, si quid
turpe paras, nec tu pueri contempseris annos,
sed peccaturo obstet tibi filius infans.

Quoniam de variis disciplinis dixi, quibus pueri a magistris Graecis ad humanitatem informabantur, ad reliquas vitae conditiones redeamus, quibus Graeci in urbe Roma potissimum utebantur. Quae vero varia genera Graecorum Romam immigrantium Iuvenalis supra dixit, duobus capitibus ita comprehendi possunt, ut primum de artificibus, deinde de medicis agatur, quaeque artes cognatione quadam cum his duabus sunt coniunctae.

Ac primum quidem praemonendum esse videtur, quantum Romani a Graecis arte aestimanda differant. Apud Graecos omnia, quae manu fiunt atque eorum etiam contemptissima, artes (τέχναι) habebantur; Romani omnes artes, quae manu constant atque ad vitam ornandam pertinent, quaestum negotiumque esse volebant sordidum et viro ingenuo indignum. Itaque Seneca[11]) in numerum liberalium artium pictores non recipit, non magis quam statuarios aut marmorarios aut ceteros luxuriae ministros; atque Vitruvius, qui artificis nomine suo iure gloriari nostra quidem sententia potuit, nullum aliud discrimen inter artem sutrinam vel fullonicam vel architecturam servat, nisi quod hanc difficiliorem esse putat.[12]) Quaerenti quomodo factum sit, ut et artes et artifices in diversissima conditione apud utramque nationem collocarentur, hanc unam causam satis videtur afferre, quod in Graecia a deorum cultu artes profectae sunt, in Italia nihil ad sacra aut religiones primis quidem saeculis pertinuerunt. Postea vero quam simulacra atque formae deorum Graecorum in usum Romanum introducta

---

1) Iuv. VII, 157. 2) Mart. V, 56. 3) IX, 73. 4) VII, 64. 5) Iuv. VII, 168. 6) Pers. III, 24. 7) Mart. III, 25. 8) Iuv. VII, 160. 9) Iuv. I, 44. 10) Iuv. XV, 112. 11) ep. 88,18. 12) 6 pr. 7.

sunt, omnia illa opera arte Graeca creata et perfecta ingenio Romano nihil debebant. Sub finem reipublicae Cicero, quem litteris Graecis atque arte imbutum fuisse nemo negabit, quamquam itineribus in Graeciam Asiam Siciliam factis animum ad veram humanitatem excolendum arbitrabatur, adeo subtili iudicio et sensu sincero caret, ut miretur, quod Graeci arte nimis delectentur, quam Romani contemnant,[1] cum ipsi rudes earum rerum sint.[2] Vergilius vero versibus illis, quibus Romanis imperium orbis terrarum vaticinatur, aperte dicit Romanorum artes esse populos imperio regere: alii excudant spirantia aera vivosque de marmore vultus ducant.[3]

Quamquam igitur in Romanorum mentibus ea vis et sollertia non inerat, quae operibus et artificiis creandis faveret, tamen paulatim cum Graecia et Asia subactis innumerabilis copia operum Romam transportaretur, ipsi ornamentis illis delectari coepti sunt. Sed immanitas illa atque artium inscitia, quae Mummio Corintho expugnata infamiam movit, certe per longum tempus in populo Romano residebat atque efficiebat, ut omnium operum honorem in pretio solo positum ducerent.

Quod totam nationem subtiliore artis sensu caruisse dixi, idem in litteris apparet. Nam ex tanta turba scriptorum, quos politioris humanitatis et doctrinae elegantioris non expertes fuisse constat, nescio an nemo veram ac meram artem intellexerit. Frustra raris illis locis, quibus monumenta arte perfecta tractantur, eam admirationem atque quasi fervorem quaerimus, qui animos spectantium magnificentia et dignitate operum commotos aut perculsos esse doceat. Ac si quis contra dixerit, intellexisse et sensisse Romanos, quanta auctoritate ad vitam et cultum essent artes, cum ingentem operum arte factorum numerum Romam transportarent, ei respondendum est, ex numero artificiorum aut ex monumentis politissima arte ornatis effici cogique non posse vera arte imbutos fuisse animos Romanorum: nam quamvis aedificia et monumenta publica ornare studuerint, quamvis opera vetera Romam congesserint, quamvis pretiosas res in villis aedibusque coacervarint, omnia illa studia ex immani et inhumana luxuria profecta sunt, qua orbis terrarum domini usi vitam splendidiorem et delicatiorem reddere sibi cuperent.

Nihilo minus Romanorum in artem merita tanta sunt, ut nos quidem, quorum artes prorsus in veterum rationibus positae videntur, studio illi potissimum colligendi et congerendi, quas habemus veteris artis reliquias, debere dicamus. Tamen hoc suo iure dici potest, si ex veterum scriptis quae exstant solis de artis magnificentia iudicandum esset, ne suspicione quidem nos intellecturos esse, quanta ubertate et dignitate etiam tum fuerint artes, aut quantum desiderium artis et studium omnium ordinum homines tenuerit.

Quod vero universi scriptorum generis proprium est, etiam apud poetas nostros apparet. Iuvenalis quidem praestantiam operum Graecorum adeo non sentit, ut pristini temporis simplicitatem laudet, cum miles Romanus rudis et artes Graecas mirari nescius pocula argentea artificum illustrium frangebat, ut phaleras et casses faceret.[4] Quodque Martialis pulchritudine statuae cuiusdam adeo excitatus videtur, ut Phidiaco caelo eam formatam dicat, omnibus laudibus unum hoc spectat, ut Iuliae filiae Titi blandiatur.[5]

Nomina quidem illustrium artificum Graecorum ita non desunt, ut potius quaeri possit, cuius nomen non commemoretur. Occurrunt enim legentibus Phidias,[6] Praxiteles,[7] Myron,[8] Scopas,[9] Mentor,[10] Euphranor,[11] Polyclitus,[12] Lysippus,[13] Mys,[14] Parrhasius,[15] Apelles.[16] Qui omnes artifices Graeci aut ex illa aetate sunt, cum artes in Graecia maxime florebant, aut ex temporibus successorum Alexandri; sed recentioris aetatis aut artificis Romani nomen invenitur nullum. Quae res probare videtur primum artem et statuas fingendi et pingendi Romae praecipue a Graecis cultam esse, tum Romanos non magni aestimasse artificia nisi quae antiqua essent

1) in Ver. 4. 59. 132 2) Verg. 2. 35. 87. 3) Aen. VI, 847. 4) XI, 100. 5) VI, 13. 6) Mart. III, 35. 1. IX, 24. 2. 7) Mart. IV, 39. 8) Iuv. VIII, 102. M. VI, 92. 9) Mart. IV, 39. 2. 10) Mart. XI, 11. 6. 11) Iuv. III, 217. 12) Iuv. III, 217. 13) Mart. IX, 34. 14) Mart. VIII, 34. XIV, 95. 15) Iuv. VIII, 102. 16) Mart. VII, 84, 7.

aut dicerentur esse. Quam aviditatem operum vetustatis sanctitate commendatorum Martialis vituperat: nihil esse odiosius archetypis vetuli Aucti, cum stemmata fumosa argenti sui narret et in antiquissima tempora reducat; pocula sua iam in mensa Laomedontis fuisse Apollinemque lyra muros Troiae exstruxisse, ut ea acciperet; cratere suo Rhoetum ferocem cum Lapithis proelia commisisse opusque pugna laesum esse; ἀμφικύπελλον idem esse Nestoris, quod Homerus in Iliade describat, columbasque duas eius pollice trita; scyphum eum esse, in quo Achilles Phoenici, Aiaci, Ulixi largius vividiusque merum misceri iusserit; in patera Didonem Bitiae propinasse, cum in honorem Aeneae epulas daret. Aliis quoque locis apud Martialem eadem cupiditas antiquorum operum apparet.[1])

Reliquae artes Romae non minus Graecis obnoxiae erant excepta architectura, quae sola Romanorum propria dici posse videtur. Histriones quidem praestantissimi Romae primis post Christum natum saeculis Graeci erant, ex quibus Iuvenalis Stratoclem et Demetrium nominat,[2]) maximos comoediae actores, ut ait Quintilianus.[3]) Praeterea Haemum, Antiochum, Carpophorum comoedos invenimus apud Iuvenalem,[4]) qui summam famam personis feminarum agendis consecuti erant, quod non ita multum poeta miratur, cum totam nationem Graecam comoedam esse dicat:[5]) neminem melius agere comoediam Graeco, cum aut amica aut uxor aut ancilla sustinenda sit; ipsas mulieres loqui crederes. Cum vero more Romano, quicunque artem ludicram faceret, infamia notaretur, eo maior nationi Graecae invidia conflata est. Huc accedebat, quod paene omnes actores aut servi aut liberti erant. Tamen haec ignominia totius ordinis non impedivit, quin complures, postquam manu missi sunt, ad summos honores et potestatem escenderent. Satis erit Paridis exemplum afferre, Domitiano familiarissimi, a quo ad magnas opes eximiamque auctoritatem evectus est, postea vero quam Domitia uxor amore eius exarsit, occisus. Quem cum Iuvenalis satiris suis offendisset, cum diceret histrionem multis praefecturas et tribunatus vendidisse equestremque dignitatem largitum esse,[6]) poeta in exilium missus est. In eundem Paridem Martialis lepidum illud epigramma fecit,[7]) quo viatorem monet, ne praetereat sepulcrum, quo urbis deliciae, ars et gratia, lusus et voluptas, theatri Romani decus et dolor, omnes Veneres Cupidinesque condita sint. Quanta eius gratia apud omnes Romanos fuerit, ex illis versibus Iuvenalis apparet,[8]) quibus maxime esse mirandum dicit, non quod uxor senatoris immemor liberorum et coniugis cum gladiatore in Aegyptum profecta sit, non quod molliter in domo paterna educatam amor lascivus tam audacem reddiderit, ut pericula navigationis sperneret, sed quod ludos et Paridem reliquerit. Quam effrenatam in histriones Graecos libidinem matronarum Romanarum saepius verbis acerrimis vituperat.[9])

Quod supra dixi omnes artes Romanorum Graecis obnoxias esse, satis explicasse mihi videor. Architectura sola propria Romanorum ars et ex ipsis esse nata videtur, quam unam suo ingenio dignam arbitrabantur, cum una ingentia illa monumenta exstruere posset, quae Romanos orbis terrarum dominos esse praedicarent; ea arte suam quasi formam expressit ingenium Romanum liberum solutumque ab auctoritate Graeca. Suo igitur iure Martialis gloriatur omnia Graeciae opera, Dianae Ephesiae templum, Deli insulae aras, mausoleum Cariae cedere amphitheatro Caesareo;[10]) miracula regia pyramidum colossumque Rhodium vinci aedibus, quas Domitianus in monte Palatino exstruxisset.[11])

Ex variis generibus Graecorum, quos Romam immigrare Iuvenalis dicit,[12]) restat, ut de medicis agam atque paucis absolvam, quid de eorum conditione apud eos poetas inveniatur. Medicorum ars Romae praecipue a Graecis exercebatur sive liberis sive servis. Romanorum gravitas adeo aliena erat ab eo studio, ut etiam Plinii temporibus pauci id sequerentur, qui et ipsi brevi Graece medicinam tractabant, cum aliter etiam apud imperitos expertesque linguae Graecae auctoritas non esset. Cum vero moris non esset Romani, ut quid in sua quisque arte

---

1) VII, 19. VIII, 51. XIV, 94. XI, 44. XII, 69. IX, 43. 60. III, 41. XIV, 93. 2) III, 98. 3) XI, 3. 178. 4) VI, 198. 5) III, 100. 6) VII, 87. 7) XI, 13. 8) VI, 87. 9) VI, 60—75. 78—113. 379-397. 10) sp. 1. 11) I, 70. VIII, 36. 12) III, 77.

didicisset, publice examinarent, neque lex esset, quae inscitiam puniret, factum est, ut quicunque medicum se profiteretur, quamvis alienam ab ea arte conditionem antea egisset, medicinam exerceret, quae res auctoritatem huius ordinis non ita auxit. Itaque Martialis facetiis acerbis medicos irridet, cum dicit eum, qui antea medicus fuerit, nunc esse vispillonem[1]) aut hoplomachum,[2]) sed quod vispillo aut hoplomachus faciat, idem iam medicum fecisse, cum homines remediis suis necaret. Alio loco[3]) dolet amicum, qui secum hilaris coenavisset, eundem mane mortuum inventum esse: causam subitae mortis fuisse, quod in somnis Hermocratem medicum vidisset; proinde quicunque sanus fieri velit, omnes medicos dimittat.[4]) Nihil ab eorum insidiis tutum esse, non uxorem[5]) non puerum;[6]) quin etiam trullam Herodem clinicum aegroto subduxisse.[7]) Insuper venefici putabantur medici vitioque eis dabatur, quod cum uxores adulterio pellicerent, mariti sine febre, id est veneno, morerentur.[8]) Praeter medicos libros servi in familiis divitum medici inveniuntur, medicae quoque commemorantur.[9]) Nobiles et inclutos medicos, cum aegrotos circumirent, magna turba discipulorum sequebatur: itaque Martialis queritur Symmachum cum centum discipulis ad se venisse, centum manus aquilone gelatas se tetigisse, quo factum esset, ut, cum non habuisset antea febrim, nunc haberet.[10]) Neque deerant, qui certis partibus corporis mederentur, quos complures apud Martialem legimus:[11]) Cascellius dentes aegros eximit aut reficit; Hyginus pilos oculis infestos urit; Fannius uvam stillantem non secat et tollit; Eros servorum stigmata delet; Hermes peritissimus enterocelarum dicitur; Alcon ossa fracta manu fabrili dedolat.[12])

Quae modo dixi nomina medicorum quaeque aliis locis occurrunt legentibus, paene omnia sunt Graeca, veluti Themison Laodicenus Syrus, quem Iuvenalis sescentos aegrotos uno auctumno occidisse dicit[13]) cuiusque Molierus poeta Francogallicus in comoedia „le malade imaginaire“ meminisse videtur, cum novo medicinae doctori a collegio medico potestas datur impune occidendi per totam terram. Deinde Archigenes Syrus commemoratur,[14]) qui temporibus Domitiani artem suam Romae exercuit multosque physici et medici argumenti libros scripsit; tum Philippus Caesarea oriundus,[15]) Heliodorus,[16]) Hermocrates,[17]) Heras,[18]) Herodes,[19]) denique Dasius,[20]) Symmachus,[21]) Alcon,[22]) quos Martialis celeberrimos Romae medicos dicit.

Non minor quam medicorum Graecorum auctoritas erat astrologorum[23]) sive Chaldaeorum,[24]) mathematicorum,[25]) augurum,[26]) magorum,[27]) quorum arti a communi omnis superstitionis fonte, quae est cupiditas res futuras perscrutandi et praenoscendi, profectae tum viri aeque ac mulieres dediti erant.[28]) Neque dubitandum est, quin maior pars medicorum in eius artis studiis versata sit, non modo quod voluntati aegrotorum morem gerebant, sed ipsi ex animi sententia magnam in res humanas vim tribuebant planetis et sideribus praecipue iis, quae eo momento, quo quisque nascebatur, surgebant. Itaque astrologi e genesi[29]) et sidere natalicio suum cuiusque fatum augurari solebant. Ad hanc artem exercendam libris utebantur[30]) sive tabellis[31]) sive ephemeridibus,[32]) in quibus omnes motus siderum notabant. Astrologis maxima fides habebatur et, quidquid dixerant, credebatur, quasi ab oraculo Iovis petitum esset.[33]) Eoque maior et ipsorum et artis, quam profitebantur, fama erat, quo saepius in exsilium missi erant sive in vincula coniecti sive in deserta insula inclusi.[34])

Sed ex tanta multitudine Graecorum, qui Romam confluxerunt, nescio an maxima pars fuerint servi; certe non ita pauca, quae supra dixi negotia, a servis administrabantur. Cum vero tota natio a Romanis contemneretur, mirum esse non potest, quod vulgo servi Graeci male audiebant. Proverbia quaedam, quae apud Ciceronem exstant,[35]) quanto contemptui fuerint, ostendunt: Phrygem plagis fieri meliorem; si quid cum periculo experiri velis, in Care id

1) I, 47. 2) VIII, 74. 3) VI, 53. 4) II, 16, 5. 5) VI, 31. 6) XI, 28. 7) IX, 96. 8) VI, 31. 9) Mart. XI, 71, 7. Iuv. II, 141. 10) V, 9. 11) X, 56. 12) XI, 84. 13) X, 221. 14) Iuv. VI, 236. XIV, 252. 15) Iuv. XIII, 124. 16) VI, 373. 17) Mart. VI, 53. 18) Mart. VI, 78. 19) Mart. IX, 96. 20) V, 9. VII, 18. 21) VI, 70. 4. 22) XI, 84. 5. 23) Iuv. VI, 554. 24) Iuv. VI, 552. 25) VI, 562. 26) III, 77. 27) III. 77. 28) Iuv. III, 4. VII, 194. IX, 33. XIV, 248. XVI, 4. — Mart. II, 7. 4. IX, 82. 29) Iuv. VII, 579. 30) VI, 578. 31) V, 558. 32) V, 574. 33) Iuv. VI, 555. 34) Iuv. VI, 560. 35) p. Flacc. 27, 65.

potissimum faciendum; ut quisque optime Graece sciat, ita esse nequissimum.[1]) Itaque Iuvenalis gloriatur[2]) in sua domo non Phrygem aut Lycium servum esse, sed Italum, pastoris aut bubulci filium, cumque convivae aliquid vini aut cibi poscant, latine posci oportere, quod sui servi linguam Graecam nesciant. Idem monet, ne quis falsum iudicium dicat, quod indignum sit homine Romano: faciant id, qui aliquando servi fuerint Asiani, Cappadoces, Bithyni.[3]) Neque aliter Martiali fortuna esse iniqua videtur, quod civis non Syriae aut Cappadociae, sed de plebe Remi Numaeque, cuius unum sed magnum vitium sit, quod sit poeta, vitam in egestate degat.[4]) Ceterum ad hunc locum planius illustrandum conferenda sunt, quae supra dixi de universa natione Graeca.

Respicientibus nobis, quas sententias de Graecis dictas ex scriptoribus nostris proposui, mirum videatur, quod omnes plenae sunt contemptionis atque odii. Iure quaeri potest, num testimonia laudis et honoris iueniantur nulla. Sunt quidem, sed rarissima. Apud Iuvenalem unus hic locus exstat,[5]) quo cum immanitatem gentis cuiusdam Africae crudam hominis carnem deglutientis castigat, non iam ignorantia vel feritate excusari posse dicit, quae contra humanitatem peccentur, nam „nunc totus Graias nostrasque habet orbis Athenas".

Martialis quidem passim de lepore Attico[6]) vel Cecropio[7]) loquitur exhortaturque libellum suum, ut si auribus Atticis probari velit, docto Apollinari placeat.[8]) Idem per blanditias, si quisquam imbutus sit artibus Minervae Cecropiae, eum esse Decianum amicum dicit.[9]) Tamen et apud Martialem et apud Iuvenalem frustra eos versus quaeremus, quibus quantum Romani Graecis eorumque litteris debeant, sincere professi sint. Unus Persius, qua est integritate, fide ac paene dixi virginali verecundia, Graeciam fontem omnis doctrinae Romanae esse ex animi sententia proloquitur. Itaque eos improbat, qui rudes et impoliti Graecorum studia rideant: cui Graeculi et eorum fabulae despectui sint, is centuriones, osores et irrisores litteraram Graecarum sequatur et edicta consulis legat, quae populo in foro recitentur;[10]) se quidem gloriam veterum poetarum Graecorum assequi non posse, non somniasse se in monte Parnasso neque ex Hippocrene fonte hausisse; quare qui honor sit poetis illustribus, ut imagines cum ipsorum operibus in bibliothecis collocentur et hedera coronentur, ad eum se non aspirare. Tamen ab iis scripta sua legi vult, qui vero litterarum studio ducti poetas Graecos noverint et vereantur.[11])

Nunc si quaeritur, quo modo factum sit, ut iisdem poetis, qui unaquaque scriptorum suorum pagina totos se ex Graecorum doctrina pendere doceant, cum historiae exempla, mythologiam, imagines, similia, formam poeticam, sententias, verba ipsa inde repetant, natio Graeca tanto despectui fuerit, respondendum videtur, scriptores Romanos aliam voluisse suorum temporum esse Graeciam, aliam veterem illam, quam admirari, colere, observare, diligere non dubitant. Cuius veterum Graecorum honoris et reverentiae duo habemus monumenta illustria, epistolas illas dico, quarum alteram Cicero ad Quintum fratrem, alteram Plinius ad Maximum dedit. In ea epistola Cicero toto genere veteres Graecos a suae aetatis Graecis dissiungit, cum hos vetere Graecia indignos esse dicit.[12]) Plinius vero Maximum admonet, ut in provinciam Achaiam se missum esse cogitet, illam veram et meram Graeciam, in qua primum humanitas et litterae inventae sint, ad homines maxime homines, ad liberos maxime liberos: habeat ante oculos eam esse terram, quae Romanis iura et leges miserit, Athenas esse quas adeat, Lacedaemonem esse, quam regat.[13]) Quod si eius verecundiae documenta evidentia et expressa apud Persium, Martialem, Iuvenalem non inveniuntur, tamen idem discrimen et ipsos servasse iudicabimus; certe quanti momenti apud eos Graeci fuerint, probasse mihi videor. Itaque, quod dictum initio huius opusculi praeposui, finem faciam eodem:

„Omnia Graece!"

---

1) de or. II, 66, 265. 2) XI, 147. 3) VII, 15. 4) X, 76. 5) XV, 110. 6) III, 20. 9. 7) IV, 23. 6. 8) IV, 86. 9) I, 39, 3. 10) I, 134. 11) I, 23 sq. 12) I, 1. 16. 13) IX, 2.





